Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1267

Quelle:
Copyright:

inter *Nicolai Oreſmii* inedita Tractatum ejusmodi connumerat. Adi ejus *Acad. Pariſ. illuſtratam T. II. p. 458.*

III. *fol.* 29. *Tractatus phyſicus*, ut ex ſubſcriptione liquet, *de reductione effectuum ſpecialium in virtutes communes.* In ſumma ora folii lego *Johannes Maruillien.* unde non dubito Tractatum hunc *Johanni de Marvilla* adſcribere, quem anno 1359. Philoſophiam *Pariſiis* docuiſſe ex *Bulaei Hiſt. Univ.* T. IV. p. 964. diſco. Initium ejus ſic habet: *Propter ammirari inceperunt antiquitus homines phyloſophari. Ammiracio ſiquidem ſenſibilium effectuum et transmutacionum rerum corporalium ſuperiorum et inferiorum ad inquiſitionem cauſarum mentem incitabat humanam* &c. Diviſus eſt in *Capita* XXV. quorum Elenchum ad calcem adjectum habes.

IV. *fol.* 38. p. 2. *Queſtio de Cometa magiſtri Heinrici de haſſia.* Incipit: *Anno Domini M. CCC. LX octauo. a vigilia palmarum vsque ad tres ſeptimanas viſus fuit Cometes tempore crepuſculi veſpertini in parte occidentis. Occaſione eius queſitum fuit Vtrum apparicio comete euentuum aliquorum ſit ſignum prenoſticum. Et arguitur, quod non* &c. Id, quod priore Disquiſitionis parte contra Aſtrologos judiciarios oſtenditur. Parte altera Poſitiones de Natura et Phaenomenis Cometarum ſuis rationibus fulciuntur v. g. *Exalacio cometalis ibi ut plurimum medium interſticium penetrat pocius, vbi ab eo venti reflectuntur. Figuram corporis comete ex figura porcionis iam inflammate reſultare. Cometam raro uel nunquam ſub ſua propria figura apparere. Cuiuslibet comete dyameter ſiue latitudo eſt minor dyametro ſtelle, cui apparet equalis* &c. *Solus, quod ſciam, Trithemius hunc Cometam annotat*, ſcribit *Stanisl. Lubieniecius Theatri Comet. P. II. Amſt.* 1667. p. 268. Addamus et *Henricum* noſtrum *Haſſum*, qui praeſenti Tractatu confirmat, quod de illo praedicavit *Petr. Ramus L. II. Prooemii Mathem. Pariſ.* 1567. p. 273. *Centeſimo abbinc et octogeſimo fere anno Mathematicas artes Lutetia Viennam tranſtulit: unde brevi per univerſam Germaniam proſeminatæ Mathematicorum tanquam familiæ.* Scriptionem porro hanc *Pariſiis* etiamnum, ut in re recenti, ſuſceptam ab eo fuiſſe tempus ipſum ſuadet. Ab iis, qui *Henrici* opera enumerant, obiter indicatur titulo: *Contra Aſtrologos*, qui priori ſolummodo Parti reſpondet, ut vidimus, quamvis etiam in *Cod.* noſtro ad calcem legatur: *Explicit tractatus diſputativus cum aſtrologis ſuper iudicijs apparicionum cometarum, et eſt totum vnica Queſtio.* Id quod abit a vero.

V. *fol.* 45. *Hic continetur de officio tabellionis.* Addidit ſcriba: *Ne ſcribam vanum duc pia virgo maria*, ubi *manum* lege pro *Maria.* Initium Opellae: *Tractaturi de arte notarie primo videamus, quid*